

inter illa duo *n* interponere vocalem *i* et pronuntiare *ninupgani*, loco *n'nupgani*.

Etiam litera *t* interdum duplicatur, et pronuntiari debet interposito inter utramque brevissimo temporis intervallo: ita pronuntiabis vocabulum ut *tsukuni*, *terebro*, *pungo*; ut illud distinguas ab *utsukuni*, *ascendo* (e. g. *candelas*, *tabacum* et similia)

De litera *w* satis abunde superius loquuti sumus agentes de quantitate et accentu vocalium.

*y* pronuntiabi. ut pronuntiatur in anglico *yes* e. g. *yiski*, *quantitas*, *iyamu*, *boves* et *oves*, *yamu*, *fumus*. Interdum dubitabis utrum in initio vocabuli locum habeat consona *y*, an vocalis *i*. Verum ad dubium tollendum suppetit criterium, quod fere in omnibus casibus applicari potest. Si vocabulum de quo dubitas est verbum, ut communiter contingit, interrogabis indum ut pronuntiet tertiam personam praeteriti perfecti, illius verbi. Si in pronuntiando eiusmodi formam verbi, indus praeponit literam *n*, sit tibi signum, vocabulum incipere a vocali *i*; quod si pronuntiatio fit sine litera *n*, cognosces vocabulum incipere a consona *y*. Eodem plane criterio distingues utrum vocabulum incipiat a vocali *n* vel a consona *w*. Confer quae dicta sunt de praefixo *n* characteristicam tertiae personae verbi.

*ts* pronuntiatur perinde ac *z* asperum. Praetulimus duplicem consonam *ts* simplici *z*, ut liqui in sua lingua vel semper vel ut plurimum, leniter pronuntiant consonam *z* nunquam fallantur, si *ksanka* aliquando locuturi sint.

Interdum tamen *ts* ita pronuntiandum est, ut percipiatur distinctio inter *t* et *s*; in hoc casu, qui raro accidet, separabitur *t* ab *s* mediante apostrophe: e. g. *utsukwat'sawasni*, *sumpsit pro nobis*, ex verbo *utsukwati*, *sumpsi*.

Interdum putabis loco *ts* pronuntiandum esse *ch* anglicum. Verum res non ita se habet. Certissime duplex est sonus consonae *ts*, alius magis, alius minus asper, sed uterque differt a sono quem *ch* anglicum habet. Sonus minus asper, communiter locum habet quoties consonam *ts* praecedit consona *k*, quod frequentissimum est in lingua *ksanka*. Verum si nullam in pronuntiatione distinctionem facias inter illum duplicem sonum minus et plus asperum, nullum plane inconueniens consequetur.